MASTER NEGATIVE
NO. 93-81309-1

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

HIRSCH, E.

TITLE:

QUAESTIONUM DE EURIPIDIS HELENA...

PLACE:

BRESLAU

DATE:

[1861]

Master Negative #

93-81309-1

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



88ED
Z3

Hirsch, E

... Quaestionum de Euripidis Helena pars I., von E. Hirsch. Breslau, Storch [1861]

20 p. 26 cm.

At head of title: Zu der ... 1861 stattfindenden prüfung der schüler des K. Friedrichs-gymnasiums ladet ... ein Dr. Friedrich Wimmer ...

Volume of pamphlets

147745

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 12x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9.21.93 INITIALS SAS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
Inches
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 2

Zu der

am 20ten, 21ten und 22ten März 1861

stattfindenden

Prüfung der Schüler

des

Königlichen Friedrichs-Gymnasiums

ladet hierdurch

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens und dieser Anstalt

ehrerbietigst und ergebenst ein:

Dr. Friedrich Wimmer,
Director.

Vorangeht:

Quaestionum de Euripidis Helena pars I. Von E. Hirsch.

Breslau.
Druck von C. H. Storch und Comp.

Quaestionum de Euripidis Helena pars I.

scrips. E. Hirsch.

Quod usu venit in diiudicandis fabulis, ut alii aliter de praestantia ac virtute earum statuant, huic rei etiam Euripidis fabula Helena exemplo est. Quum enim alii hanc fabulam et propter prudentem sententiarum inventionem et propter vim movendorum affectuum imprimis misericordiae magnopere laudarent et admirarentur neque fieri potuisse contenderent, quin his fabulae virtutibus spectatorum animi haud mediocriter commoverentur et in summam exspectationem adducerentur, alii tanta severitate tantaque acerbitate in eam invecti sunt, ut vix pessimo poeta nedum Euripide digna videretur. Gravissima autem crimina poetae illi facta esse a viro, cui in aliis rebus sane magna concedebatur auctoritas, Aug. Guil. Schlegelium dico, quis est qui ignoret? Etenim comoediae similiorem esse quam tragoediae hanc fabulam dicit totumque eius argumentam ab Euripide inventum (Schlegel über dramat. Kunst und Literatur I. p. 261). Non esse ab Euripide fictam fabulam discrepantem illam ab Homeri narratione quum certissimis argumentis nixi omnes fere Helenae editores demonstraverint, non est cur denuo defendendi Euripidis munus subeamus. Defendendi voce utor, nam profecto opprobrio Euripidi debebat esse, si Helenae fabulam, qua notiorem illustrioremve inter Graecos populos audimus fuisse paene nullam, adeo mutatam tamque ab Homerica memoria maiorumque fama alienatam omnium primus exhibere atque adeo producere in scenam ausus fuisset. Praegressa ei erat Stesichori palinodia celebratissima et Herodoti testimonium luculentissimum, quod invenimus lib. II. c. 112 sqq. De hac quidem re nullum dubium.

De altero autem crimine quod Euripidi factum esse dixi, esse eum malum poetam tragicum, quia comoedia sit non tragoedia eius Helena, in diversissimas virorum doctorum sententiae partes abierunt. Inter quos Pflugkius comoediae nomine simpliciter repulso nihil tamen habet, quod proferat ad excusandas eas fabulae partes, quae ne dicam scurriles esse sed parum tragicae putantur. Summa eius disputationis est, ut in Helenae fabula Euripidem novum quoddam fabularum genus condidisse contendat medium quasi tenens inter tragoediam et comoediam.

Hermannus autem gerale nomen reticens quam de aliis Euripidis fabulis sententiam exhibuit eandem de Helena proponit, non esse eam optimam tragoediam dictitans, quia nec gravis metus in ea nec magna miseratio inveniatur. Hartungus uti nullam omnino maculam Euripidi adspergi patitur, sic Helenam fabulam omni modo studet defendere. Quae quidem iudicorum iniquitas haud scio an inde potissimum enata sit, quod, quum in contentionem vocarentur Sophocles et Euripides, vix fieri potuit quin huic iniuria inferretur. Qui enim Euripidem in hoc genere reprehenderunt gravissime, ii non universam artem, non ipsius poetae ingenium, non temporum quibus vixit conditionem, non hominum, quibus scripsit quorumque animos commovere et docere voluit, studia satis consideraverunt, sed aut cum Aeschyli granditate ac pondere aut cum Sophoclis gravitate dignitateque componere maluerunt. Qua in re iam Cicero de orat. IV, 7 recte mihi videtur disputare dicens: „atque id primum in poetis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius Acciusque dissimiles: quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur.“ Itaque si in Aeschylo ingentem illam ingenii vim et magnificentiam stupemus, qua divino quodam ardore correptus quaecunque ad deos hominesque spectant quasi vates aperit spectatoribus, si Sophoclis dignitatem atque honestam gratiam et purissimam existimandi elegantiam admiramur ac diligimus tanquam veri artificis ex altiori loco omnia contemplantis atque homines ut debent esse depingentis: quid est, quod Euripidem e coelo in terram nos devocantem et summa cum arte rerum naturam vere accurateque describentem atque homines quales re vera sunt tales nobis proponentem ferre nolimus?

Atque hac arte etiam in Helenae fabula poetam usum esse optime poterit demonstrari, si disputationem meam ita instituero, ut primum, qua re fore spero ut maior lux disputationi meae afferatur, de fabulae locis quibusdam difficilioribus, quae imprimis in choris inveniuntur, sententiam meam proferam in medium, deinde fusius de natura ac indole ipsius fabulae disseram. Sed in huiusmodi quaestionibus quoniam singulorum iudicio ne dicam arbitrio tam late campus patet, ut mirandum non sit quot aestimatores tot extare sententias, me hac de re iudicium ferentem nihil fere novi allaturum neque aliud quidquam effecturum esse bene scio, nisi ut quae mihi lectitanti hanc tragoediam de indole ac pretio eius visa sint demonstrem.

Prologo ab Helena pronuntiato auditores statim in mediam actionem introducuntur. Audimus enim Helenam post notissimum istud trium dearum certamen Paridi, qui Veneri favens litem diremerat, addictam, Iunonis autem iussu speratum pretium illi invidentis a Mercurio per aerem sublatam velatamque nube in Aegyptum ductam esse ad Proteum regem, mortalium omnium probissimum et castissimum, qui servaret intactam, donec Menelaus repeteret. Helenae loco Paridem accepisse imaginem quandam illius simillimam et Troiam secum abduxisse. Veram Helenam vivente Proteo tutam fuisse ab omni iniuria, defuncto autem eo a regis filio Theoclymeno in matrimonium invitam expeti coeptam esse. Duos enim liberos Proteum ex Psamathe, Nerei filia, natos reliquisse, Theoclymenum regem et Theonoen divinandi arte ab avo Nereo ornatam.

Iam venisse se dicit Helena ad Protei tumulum, ut a Theoclymeno nuptiarum suarum appetente sese tutaretur. Recuperandi enim prioris matrimonii spem se nunquam deposuisse nec precibus nec minis ut Theoclymeno nuberet commoveri potuisse, praesertim quum Mercurius praedixisset tempus aliquando venturum, quo coniuncta cum Menelao Spartam rediret. Quibus rebus expositis Euripidem in scenam aliquem producere necesse erat, ut quae interim Troiae gesta essent eorum ad Helenam nuntius perveniret. Quare adest Teucer, a patre, quum derelicto Troiae Aiace fratre domum rediisset, pulsus e patria et advectus ad Pharum insulam, ut ex virginis oraculo consilium de itinere sibi faciendo peteret.

Cognoscit autem ex Teucri sermone Helena videri sese Graecis omnibus omnium malorum et laborum causam detestabilem, matrem Ledam ipsam pudoris et invidiae impatientem suspendio vitam finivisse, filiam Hermionam orbam et relictam in patria degere ac viro carere, fratres geminos de sorore dimicantes occidisse et inter astra collocatos esse. De Menelao Helenae interroganti tristissimum affert nuntium, profectum eum Troia una cum uxore in maribus vagari ac pro defuncto haberi.

Praesente Teucro Helena luctum repressit, quod erat timendum, ne, si veram Helenam ipsam esse comperisset, abstraheret invitam; postquam autem monitus ab Helena interfici a Theoclymeno Graecos quicunque deprehensi essent discessit, gravissimo dolore affecta ac plane desperans lugubre carmen cantat.

Cuius carminis clamoribus allectae feminae, quae vestibus lavandis in maris littore operam dant, celeriter accurrunt. Cum his mulierculis Spartanis Helena carmen lugubre cantat, ad cuius interpretationem antequam aggrediamur, de argumento eius et compositione pauca praemittere operae pretium videtur, quum de eo quidem iudicans interno sententiarum progressu accurate perpenso illis assentiri non possim, qui Euripidem in universum negligenter versari in choris componendis atque hos saepe a fabulae argumento abhorrere contendunt.

Quum in prologo (a versu 1—68) ut modo demonstravimus, secundum Euripidis morem (cf. init. fab. Hecub. Troad. Bacch.) Helena genus suum ac fortunam declaret et calamitates Graecorum commemoret et a Teucro (v. 68) de horum rebus certior facta se invitam omnium malorum causam esse intelligat, fundamentum fabulae est constitutum et hac partis conformatione omnia quae sunt secutura singulari artificio praeparantur. Ac primum quidem Teucri narratione Helena ita commovetur, ut miseriarum varietatem et generis infortunium respiciens imprimis autem maritum fluctibus obrutum esse putans lugubre carmen cantandi initium capiat. Omnia autem, quae poeta eam loquentem inducit, eiusmodi sunt, ut sua sponte ex illius animi motu nata esse videantur. Quum enim Helenae conditio durior sit, quam ut sola lamentandi officium exsequi possit, Sirenum auxilium implorat, quarum cantu molliores animi affectus excitari putabantur. Deinde chorus in scenam prodit et primam antistropham cantat. Constat autem ex captivis virginibus Spartanis, quae vestimentis lavandis occupatae quippe quum audierint Helenae lamentationes propius accedunt,

ut huius luctus causam cognoscant. Singulas autem res in utroque carmine a poeta feliciter esse inventas et artis praeceptis omni ex parte satisfacere, in eas diligentius inquirenti primo adspectu apparet. — Sequitur altera stropha, in qua Helena occasionen nacta virginibus se tristi esse conditione exponit, quum ipsa et belli Troiani, in quo tot millia hominum occubuerint, et miseriarum sit causa, in quas mater, maritus, fratres inciderint.

His auditis chorus in antistropha malam eius fortunam deplorat, quam sit sortita, quum ipsam Iupiter ex matre „per aetherem conspicuus candidae nivis instar ala cygni“ genuerit. Repetit deinde lamentans illius mala. Quamvis vero haec enumerandi eodem, quo Helena, ordine uti videatur, quum a morte Ledae matris initium capiat, tamen in sequentibus ab eo dicedit, secundo loco non ut in stropha mariti illius, sed fratrum infortunium ponens (v. 224 ed. Herm.).

μάτηρ μὲν οἴχεται,
δίδυμά τε Διὸς
οὐκ εὐδαιμονεῖ τέκεα φίλα κ. τ. λ.
v. 231. *ὁ δὲ σὸς ἐν ἁλὶ κύμασί τε λέλοιπε βίοτον, κ. τ. λ.*

Hunc autem ordinem a poeta non inconsulto ac temere in antistropha esse institutum facile potest intelligi. Primum enim animadvertendum est, chorum quas singulas partes malorum Helena iam enumeravit eas non simpliciter repetere, tanquam propter praecipuam gravitatem semel eas audire spectatoribus non suffecerit. Nam hoc a poetae consilio alienum fuisse apparet, quamvis ab eodem antistrophae versu atque in stropha haec enumeratio incipiat. Chorus vero magnitudinem et varietatem malorum considerans ita commovetur, ut Helenam miserrimae conditionis esse audeat contendere v. 222

τί γὰρ ἄπεστί σοι κακῶν;
τίνα δὲ βίοτον οὐκ ἔτλας;

Ne tamen his verbis spectatorum cui plus iusto affirmasse videatur, necessitate quasi ad probandam suam sententiam argumenta i. e. mala ipsa afferre cogitur. Partem eorum iam Helena memoravit et in iis accuratius describendis est versata. Quapropter choro sufficit horum obiter tantummodo mentionem facere, id quod poetam tam artificiosa tractatione praestare videmus, ut eius artem et ingenium cogamur admirari. Helena enim tribus versibus de Ledae morte loquitur (204 — 7).

Λήδα δ' ἐν ἀγχόναις
θάνατον ἔλαβεν
αἰσχύνας ἐμᾶς ὑπ' ἀλγέων.

Chorus uno tantum 224

μάτηρ μὲν οἴχεται,

Idem in commemoratione fortunae Castoris et Pollucis et mariti miseri factum est. Si vero causam quaerimus, cur matris infortunio memorato Chorus non ad maritum, ut Helena ipsa, sed ad fratres eius transitum faciat, considerare debemus, illas virgines captivas non suspicantes, quanta caritate ac fide in maritum sit Helena, pietatis officium fratribus exsequendum pluris quam marito aestimare. Nec tamen solum chorus non dubitat, quin fratres Helenae secundo loco poni oporteat, sed etiam amplius progreditur et ante Menelai commemorationem de iis rebus, quarum rationem Helena propter nimios animi motus omisisse videtur, quaedam addenda censet dicens (v. 227 sqq.)

χθόνα δὲ πάτριον οὐχ ὁρᾷς,
διὰ δὲ πόλεως ἔρχεται
βάξις, ἅ σε βαρβάροισι
λέχεσι, πόντια, παραδίδωσιν.

Sequitur epodus ab Helena cantatus a vers. 235—260. Perniciosae navis, qua Priami filius in Graeciam vectus sit, ut se auferret, postquam magno luctu recordata est, in Venerem belli Troiani culpam transfert. His expositis se rosarum folia Minervae templo decerpentem a Mercurio Sparta sublatam et in Aegypto depositam esse dicit ac rursus paucis verbis rixae istius sicut infamiae suae mentionem facit (255—260). Hermannus hanc carminis partem pro epodo haberi miratur, quum sit apertissime antistrophica. Quam sententiam ut probabilem reddat, depravatos esse statuit nonnullos versus vitio antiquissimi codicis, „ex quo ita detrito, ut legi recte non possent, descriptos esse oporteat.“ Sententia vero, loci vulgata scriptura retenta, inepta ei nec numeri sani videntur. Quapropter nimis violentas minimeque probabiles coniecturas, quae non solum in singulis vocibus mutandis, sed etiam in versibus transponendis versantur, huic carminis parti inferre est conatus. Istarum autem criminationum utramque ab hoc loco abhorrere in commentario demonstrabimus. Sed quod ad illam Hermanni sententiam, hanc carminis partem non pro epodo habendam sed antistrophicam esse attinet, num omnino etiam quas fecit mutationum non habita ratione probari possit, mihi valde dubium videtur. Quum enim in antecedentibus carminis partibus poeta Helenae strophas, antistrophas choro tribuat, mirum certe est, si Hermannum sequimur, cur postremo loco ab hoc ordine discedat ita ut Helena et stropham et antistropham cantet.

His praemissis interpretationem et explicationem aggredimur et contextum describimus, quum codicum quantum fieri potuit ratione habita nonnullis locis a recentioribus editionibus nobis discedendum videatur.

ΕΛΕΝΗ.

ὦ μεγάλων ἀχέων καταβαλλομένα μέγαν οἶκτον,
ποῖον ἀμιλλαθῶ γόον; ἢ τίνα μοῦσαν ἐπέλθω,
δάκρυσιν, ἢ θρήνοις, ἢ πένθεσιν; ἔ ἔ.

στροφὴ ά.

πτεροφόροι νεάνιδες
παρθένοι, Χθονὰς κόραι
Σειρῆνες, εἴθ' ἐμοῖς γόοις
μόλοιτ' ἔχουσαι τὸν Λίβυν
λωτὸν ἢ σύριγγας, αἰλίνοις κακοῖς
τοῖς ἐμοῖσι σύνοχα δάκρυα
πάθεσι πάθεα, μέλεσι μέλεα
μουσεῖά τε θρηνήμασι ξυνῳδα
πέμψαιτε Φερσεφάσσᾳ,
φόνια φόνια χάριτας ἵν' ἐπὶ δάκρυσι
παρ' ἐμέθεν ὑπὸ μέλαθρα νύχια
νέκυσιν ὀλομένοις λάβῃ.

ΧΟΡΟΣ, ἀντιστρ. ά.

κυανοειδὲς ἀμφ' ὕδωρ
ἔτυχον ἕλικά τ' ἀνὰ χλόαν
φοίνικας ἁλίου πέπλους
αὐγαῖσιν ἐν ταῖς χρυσέαις
ἀμφιθάλπουσ', ἔν τε δόνακος ἔρνεσιν·
ἔνθεν οἰκτρὸν ἀνεβόασεν,
ὅμαδον ὀλοόν, ἄλυρον ἔλεγον,
ὅ τι ποτ' ἔλακεν αἰάγμασι στένουσα,
νύμφα τις οἷα Ναΐς
ὄρεσι φυγάδα νόμον ἰεῖσα γοερόν,
ὑπὸ δὲ πέτρινα μύχατα γύαλα
Πανὸς ἀναβοᾷ γάμους.

ΕΛΕΝΗ στρ. β.

ἰὼ ἰώ.
θήραμα βαρβάρου πλάτας,
Ἑλλανίδες κόραι,
ναῦτας Ἀχαιῶν τις ἔμολεν ἔμολε
δάκρυα δάκρυσί μοι φέρων,
Ἰλίου κατασκαφὰν
πυρὶ μέλουσαν δαΐῳ
δι' ἐμὲ τὰν πολυκτόνον,

δι' ἐμὸν ὄνομα πολύπονον.
Λήδα δ' ἐν ἀγχόναις
θάνατον ἔλαβεν
αἰσχύνας ἐμᾶς ὑπ' ἀλγέων.
ὁ δ' ἐμὸς ἐν ἁλὶ πολυπλανὴς
πόσις ὀλόμενος οἴχεται,
Κάστορός τε συγγόνου τε
διδυμογενὲς ἄγαλμα πατρίδος
ἀφανὲς ἀφανὲς ἱππόκροτα λέλοιπε δάπεδα
γυμνάσιά τε δονακόεντος
Εὐρώτα, νεανίαν πόνον.

ΧΟΡΟΣ ἀντιστρ. β.

αἰαῖ αἰαῖ.
ὦ δαίμονος πολυστόνου
μοίρας τε σᾶς, γύναι.
αἰὼν δυσαίων τις ἔλαχεν ἔλαχεν,
ὅτε σε τέκετο ματρόθεν
Ζεὺς πρέπων δι' αἰθέρος
χιονόχρως κύκνου πτερῷ·
τί γὰρ ἄπεστί σοι κακῶν;
τίνα τε βίοτον οὐκ ἔτλας;
μάτηρ μὲν οἴχεται,
δίδυμά τε Διὸς
οὐκ εὐδαιμονεῖ τέκεα φίλα,
χθόνα δὲ πάτριον οὐχ ὁρᾷς,
διὰ δὲ πόλεας ἔρχεται
βάξις, ἃ σε βαρβάροισι
λέχεσι, πότνια, παραδίδωσιν,
ὁ δὲ σὸς ἐν ἁλὶ κύμασί τε λέλοιπε βίοτον,
οὐδέ ποτ' ἔτι πάτρια μέλαθρα
καὶ τὰν Χαλκίοικον ὀλβιεῖς.

ΕΛΕΝΗ (ἐπῳδός).

φεῦ φεῦ, τίς ἦν Φρυγῶν;
ἢ τίς Ἑλλανίας ἀπὸ χθονὸς
ἔτεμε τὰν δακρυόεσσαν Ἰλίῳ

πεύκαν; ἔνθεν ὀλόμενον σκάφος
συναρμόσας ὁ Πριαμίδας ἔπλευσε βαρβάρῳ πλάτᾳ
τὰν ἐμὰν ἐφ' ἑστίαν
ἐπὶ τὸ δυστυχὲς
κάλλος, ὡς ἕλοι γάμον ἐμόν,
ἁ δὲ δόλιος ἁ πολυκτόνος Κύπρις
Δαναΐδαις ἄγουσα θάνατον Πριαμίδαις τε.
ὦ τάλαινα συμφορᾶς.
ἡ δὲ χρυσέοις θρόνοις
Διὸς ὑπαγκάλισμα σεμνὸν [Ἥρα]
τὸν ὠκύπουν ἔπεμψε Μαιάδος γόνον
ὅς με χλοερὰ δρεπομέναν
ἔσω πέπλων ῥόδεα πέταλα
τὰν Χαλκίοικον ὡς μόλοιμ'
ἀναρπάσας δι' αἰθέρος
τάνδε γαῖαν εἰς ἄνολβον
ἔριν ἔριν τάλαιναν ἔθετο
Πριαμίδαισιν Ἑλλάδος.
τὸ δ' ἐμὸν ὄνομα παρὰ Σιμουντίοις ῥοαῖσι
μαψίδιον ἔχει φάτιν.

Helena. Wehe, wie soll ich ob grossen Leids grosses Wehklagen beginnend heftig genug jammern? oder welches Klagelied anstimmen mit Thränen, mit Seufzern, mit Jammern? Weh, Weh!

Stropha I. Flügeltragende Mädchen, Jungfrauen, Töchter der Erde, Sirenen, kämet ihr doch zu meinem Jammergeschrei mit der libyschen Flöte oder mit Pfeifen, mit Thränen, die zu meinem bejammernswerthen Unglücke, mit Leiden, die zu den Leiden, mit Liedern, die zu den Liedern stimmten, und brächtet sie der Phersephassa in den von Wehklagen schallenden Saal (der Unterwelt), damit sie von mir thränenreiche Huldigungen hinab in die mörderische finstere Wohnung für die verlorenen Todten empfange.

Chor. Antistr. I. Zufällig war ich bei der blauen Fluth, indem ich im kräuselnden Grase Purpurgewänder in den goldenen Strahlen der Sonne und über den Halmen des Schilfes trocknete. Da erhob man ein Jammergeschrei, einen Verderben bekundenden Ruf, ein Klaglied ohne Leierbegleitung, wie wohl auf den Bergen eine Nymphe jammert unter Seufzern stöhnend mit dem Ton der klagenden Weise der Flucht und in dem innersten Winkel der felsigen Grotte vor der Vermählung mit Pan aufschreit.

Helena. Str. II. Wehe, Wehe! Beute des barbarischen Schiffes, Jungfrauen Griechenlands! Ein Schiffer der Achäer kam, er kam und brachte mir Thränen auf Thränen, den sorgebereitenden Untergang Ilions durch feindliches Feuer, meinetwegen, der Mörderin, wegen meines mühsalreichen Namens. Leda gab sich mit dem Stricke den Tod aus Gram über meine Schande. Mein Gemahl, der vielfach auf dem Meere umherirrte, ging zu Grunde und ist verschwunden, und Kastor mit dem Bruder, die Doppelzierde des Vaterlands, ist dahin, dahin und verliess den von den Rossen gestampften Boden und den Uebungsplatz am schilfreichen Eurotas, die Stätte wo die Jugend ringt.

Chor. Antistr. II. Wehe, Wehe! O über dein jammervolles Loos und dein Missgeschick, Weib. Ein trauriges Leben ward dir, ward dir zu Theil, als Jupiter dich schneeweiss mit dem Fittig des Schwans durch den Aether schwebend in dem Mutterschooss erzeugte. Denn welches Uebel bleibt dir fern? Welches Schicksal ertrugst du nicht? Die Mutter ist dahin, die lieben Zwillingssöhne des Zeus sind nicht glücklich, deine Heimath siehst du nicht, und durch die Städte geht der Ruf, der dich Hehre einem fremden Gatten überliefert. Dein Gemahl aber verlor in des Meeres Wogen sein Leben. Nimmermehr wirst du dein väterliches Haus und den ehernen Tempel beglücken!

Helena (Epodus). Ach, ach! Wer von den Phrygern war es? oder wer vom griechischen Lande fällte die für Ilion thränenreiche Fichte? Nachdem sich aus ihr Priamos Sohn das verderbliche Fahrzeug hatte zimmern lassen, segelte er hin mit fremdländischem Ruder zu meinem Heerd, nach meiner unglückseligen Schönheit, um mit mir die Ehe zu schliessen. Kypris aber, die falsche, die mordende, brachte sowohl den Danaiden als den Priamiden Verderben. O ich Elende ob des Unglücks! Doch die auf goldenem Throne herrschende ehrwürdige Gattin des Zeus [Hera] entsandte Maias schnellfüssigen Sohn, der mich, während ich grünende Blätter der Rosen in mein Gewand pflückte, um zum ehernen Tempel zu gehen, durch den Aether entführte in dies unglückliche Land und Streit, unseligen Streit zwischen Hellas und den Priamoskindern erregte. Mein Name aber hat einen üblen Ruf bei den Strömungen des Simois.

Hoc carmen in eorum numerum est referendum, quae ἐπῳδικὰ vocantur atque, quum epodo duae Strophae cum antistrophis praecedant, est πεντὰς ἐπῳδική hanc formam exhibens A. A. A. A. B. quae rarissime tantum a poetis usurpata invenitur cf. Herm. ep. doct. metr. § 641 et Schol. ad Eurip. Hecub. v. 620 (624) ap. Matth. IV. p. 145. Hermannus hoc loco, ut iam in praefatione demonstravimus, non dubitavit quin postrema carminis pars antistrophica statuenda esset neque ei hac in re dissimillima metrorum ratio impedimento fuit, quum mutationibus ubiucumque opus esse videbatur factis sententiam suam probabilem redderet.

Attamen causa quam iam attulimus sicut illae, quae in adnotationibus ad singula epodi verba adjectis exponentur hanc mutationem non posse ferri aperte demonstrant. Metrum huius carminis ex iambicis et trochaicis constat versibus atque ita ut, si numerus propter vehementiores animi motus alacrior fiat necesse est, longae syllabae in breves inveniantur solutae. Versus primus strophae *ά* est dimeter trochaicus catalectus soluta prima syllaba; secundus idem, sed qui respondet versus in antistropha tantum ex brevibus syllabis excepto fine, ubi duae breves locum longae tenere nequeunt, constat, ut eorum schema hoc sit

⏑⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑ —
⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ ⏑⏑ ⏑ —

Sequitur dimeter iambicus acatalectus ita comparatus, ut in prima sede pro iambo et in stropha et in antistropha spondeus sit positus. In Aldina versum strophae sic exhibente *Σειρῆνες εἴθ' ἐμοῖς* omissa est vox *γόοις:* quae praetermissio non solum propter metrorum rationem, verum etiam propter sententiae detrimentum ferri nequit. Versum a voce *μόλοιτ'* incipientem quomodo scriberem diu dubitabam, quum editores in eo constituendo non consentire viderem. Hermannus delevit articulum *τὸν* ante vocem *Λίβυν*, ob versum antistrophicum ut dicit et finivit versum in prima syllaba vocis *σύριγγας*. Nec tamen illud argumentum quidquam valere videtur, quum coniectura in antistropha facta nitatur. Nam et in hac non, ut codices exhibent, *αὐγαῖσιν ἐν ταῖς χρυσέαις* scripsit, sed articulum non tolerabilem esse ratus omisit. Attamen si librorum auctoritatem et sententiam loci non obstantem sicut metri facilitatem respicimus, non possumus non cum Pflugkio et Dindorfio versum ita constituere, ut dimeter iamb. acat. efficiatur in altera impari sede spondeum habens. Ceterum Hermanni conatu hunc locum emendandi et numerus languidior fit nec quidquam ad sententiae perspicuitatem, quum hac non careat, confertur. Sequitur deinde trimeter troch. catal.

λωτὸν ἢ σύριγγας, αἰλίνοις κακοῖς

In primo pari loco spondeus exstat (*ἢ σύ-*) cui respondet in antistr. *θάλπουσ'*. Versus sextus et septimus constant ex dimetris troch. acatal. qui eo inter se differunt, quod in priore altera tantum dipodia, in posteriore vero totus dimeter ex vocibus brevium syllabarum est compositus

τοῖς ἐμοῖσι σύνοχα δάκρυα — ⏑ — ⏑ ⏑⏑ ⏑⏑
πάθεσι πάθεα, μέλεσι μέλεα ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑⏑ ⏑⏑

Similiter res se in antistr. habet. Hartungius hos duos versus in unum contraxit, sed quo iure hoc fecerit nondum perspicio. Qui sequitur versus prorsus ab Hermanno violentis coniecturis mutatus secundum meam lectionem proxime ad codicum auctoritatem accedentem ita scribendus est, ut trimeter iamb. catal. efficiatur, cui omni ex parte antistropha respondet, ubi legimus

ὅτι πότ' ἔλακεν αἰάγμασι στένουσα.

Iambicus numerus concluditur dimetro iamb. catal. a quo ad trochaicum fit transitus ita ut, quum primi versus omnes syllabae longae solutae sint in breves, re non accuratius perpensa iambicus possit videri

φόνια φόνια, χάριτας ἵν' ἐπὶ δάκρυσι

quem versum excipiunt duo dimetri trochaici, quorum prior est acatal. posterior huic carminis parti finem imponens, ut exspectatio suspensa videatur, catalecticus. cf. Eur. Phoen. v. 625.

In secunda stropha et antistr. sicut in epodo fere iisdem metris cognitu facilibus atque in antecedentibus usus est; nam animi affectus quo et Helena et virgines captivae permotae sunt, non mutatur. Quapropter primae strophae et antistrophae metrorum sufficere explicationem existimo, praesertim quum ex contextu a me adscripto quam rationem in illis constituendis sim secutus statim appareat. Restat autem, ut explanationem et criticam et grammaticam singulorum carminis locorum, qui dubitationi obnoxii esse possunt, aggrediar et quid de iis sentiam ad diiudicandum proponam.

ὦ μεγάλων ἀχέων καταβαλλομένα μέγαν οἶκτον.

Summo iure Pflugkius praeeunte Jacobsio codicum lectionem contra Musgravium defendit, qui scribendum coniecit *μεταβαλλομένα μέγαν οἶτον* o ego magnam sollicitudinem calamitate commutans. Hermannus vero non dubitavit Musgravii emendationem participium spectantem recipere eam re ipsa posci affirmans. „Nam Helena, inquit, quum connubium Theoclymeni metueret, quae sunt illa *μεγάλα ἄχεα*, nunc ea commutavit cum alio multo graviore malo, quoniam ei Menelaus, quem mortuum perhiberi Teucer dixit, est lugendus.“ Quae explicatio haud dubie probabilis esset ratio coniecturae defendendae, nisi quominus probaremus significatio et vis participii *καταβαλλομένα* obstaret. *καταβάλλειν* proprie significat deiicere, *καταβάλλεσθαι* se deiicere vel sibi deiicere, quo modo v. g. de semine spargendo et de fundamento iaciendo usurpatur. Ex quo quidem usu illud explicari potest, quod, quum dictio fundamentum iacere, si translatam significationem respicimus, idem exprimat quod initium capere, verbum *καταβάλλεσθαι* per se sine ullo additamento notionem ordiendi vel incipiendi habet. Cf. Eur. Herc. fur. v. 1261; Callimach. fr. 196 Bentl. *Ἀρσινόης ὦ ξεῖνε γάμον κατ χβάλλομ' ἀείδειν*; Diod. Sic. 12, 20 *καταβαλόμενος ἐξ ἀρχῆς καινὴν νομοθεσίαν.* Etiam substantivum *καταβολὴ* apud Pindarum Nem. II. 4 initium vel fundamentum significat. Quodsi consideramus verbi *οἶκτος* quae sit propria vis et quomodo differat a voce *ἄχος*, vul-

garem lectionem propter sententiae perspicuitatem non possumus non probare. Nam locus ita videtur esse interpretandus: Magni doloris magnum luctum exordiens.

Quod Hermannus ad coniecturam tuendam *μεταβαλλομένα* affert, Helenam illa *μεγάλα ἄχη* orta ex metu connubii Theoclymeni, narratione Teucri audita, cum alio multo graviore malo commutasse, hoc iusto longius quaesitum et magis ingeniosum, quam verum videtur. Altera Musgravii conjectura pro voce *οἶκτον* scribentis *οἶτον* non probabilis visa est nisi Dindorfio, qui Musgravium *οἶκτον* recte in *οἶτον* mutasse eandemque corruptelam apud Soph. Antig. 858 esse sublatam dicit. Sed mutatione ista non opus est quum vox *οἶκτος* rei, de qua agitur, omni ex parte conveniat. Significat enim quippe quum ab interiectione *οἴ* derivetur luctum qui externis signis vel lamentatione vel alia quadam re ostenditur. Cf. Aeschyl. Coeph. 411; Soph. Ai. 895; Trach. 864 *ἄϊον οἴκτους οὓς οἰκτίζει*; Eur. Troad. 155.

πτεροφόροι νεάνιδες κ. τ. λ.

Helena ex Teucri narratione Troiam iamdudum esse deletam, Menelaum autem nondum Spartam rediisse suspicans maritum fluctibus esse submersum cantilenam lugubrem instituit. Quum vero summo animi dolore affecta se unam pietatis officium vix exsequi posse sentiat, Sirenum auxilium implorat. Sirenes autem cantu insignes Eustath. (ad Hom. Od. 12, 39) apud Homerum et alios poetas duas tantum virgines alis curentes esse dicit et huius opinionis suae causas affert. Primum enim Homerum duali numero uti (vv. 52 et 167) neque non intelligi, cur, alas si habuissent, Ulixem non essent persecutae. Nomina iis fuisse addit Eustath. Aglaophemae et Thelxiepeiae. Attamen iam antiquis temporibus de earum numero, nominibus, figura, imprimis de generis origine sententiae in diversas partes abierunt. Nunc terrae filiae, nunc Acheloi et Musarum cuiusdam vocantur, quum de nomine non constet et alii Terpsichoren, alii Calliopen vel Melpomenen vel Steropen matrem esse existiment. Fuerunt praeterea, qui eas e sanguine, quem fracto Acheloi cum Hercule certantis cornu terrae gremium excepisset, esse natas fingerent. Haud dubie Euripides eiusmodi fabulam respiciens Sirenes hoc loco *Χθονὸς κόρας* appellat. Cantus earum ad mulcendas aures natus (Ovid Met. 5, 560) et ad molliores animi affectus excitandos aptissimus veteribus videbatur. Quam ob rem tumulis mortuorum simulacra Sirenum imponi solebant, ut constat ex Mnasalcae epigr. 17. Hac re nixus Musgravius Sirenes propterea invocari ab Helena dixit, quod Protei tumulo harum imaginibus ornato assideret. At quum illas eadem conditione qua luscinias (cf. huius fab. v. 1107) ad funebres lamentationes advocatas esse satis constet, non est cur Musgravii opinionem sequamur.

εἴθ ἐμοῖς γόοις

vocem *γόοις* quae omissa est in Aldina, ex codd. Par. E. et Florent 1. 2. iure addidit Musgravius, quicum omnes editores consenserunt. Dativus vero saepenumero rem exprimit, ad quam

actionis motus fit nec quidquam interest, num sub sensus cadat an mente tantummodo cogitetur. In eiusmodi locis dativum loco accusativi coniuncti cum praepositione *προς* vel *ἐπὶ* vel *εἰς* positum esse grammatici docent.

τὸν Λίβυν λωτόν.

Vox *λωτὸς* quinque eiusdem generis plantas significat. Hoc loco de loto Aegyptia quam botanici nelumbium speciosum vocant (Voss Virg. Ecl. 4, 20) sermonem esse ex adiectivo *Λίβυν* intelligitur. Quae planta Isidi et Osiridi sacra tanquam fertilitatis indicium et ab Aegyptiis plurimi aestimata (Creuzer Symbol. et Mythol. 1, 282) tibiarum materiam praebuit. Itaque factum est, ut poetae secundum suam consuetudinem materiam pro re ex hac facta usurpandi *λωτὸν* pro voce *αὐλὸς* ponerent cf. Eustath. ad Hom. Il. 22, 310. Ceterum haec instrumenta quae vocantur musica ab Euripide Sirenibus attributa (*ἔχουσαι τὸν Λίβυν λωτὸν ἢ σύριγγας*) in luctu funebri usitata erant, unde magis apparere, qua re Helena ducta Sirenes potissimum ut secum lugerent advocaverit, Jacobsio visum est. Cf. Eur. Iph. in Aul. v. 1036 ubi *Λίβυς λωτὸς*, *κίθαρα* et *σύριγγες* coniunguntur. Accusativi *λωτὸν* et *σύριγγας* ut explicentur, alii sunt additi *δάκρυα*, *πάθεα*, *μέλεα*. Hermannus articulum ante vocem *Λίβυν* omisit haud dubie propter mutationem antistrophae illatam, ubi articulum *ταῖς* intolerabilem esse censuit. Priore loco praetermissio articuli quum Helena illam tibiam, quae quasi generis ratione habita una est eademque omnibus nota, designet, probari nullo modo potest. Videamus de articulo in antistropha num quodam modo possit excusari. Mirari sane possumus, poetam substantivum *αὐγαῖσιν* collocasse ante praepositionem et adiectivum cum articulo coniunctum. Sed ne poetam scripsisse obliviscamur, qui ut saepius fit casui postponit praepositionem.

μουσεῖά τε θρηνήμασι κ. τ. λ.

Musgravius vocem *Φερσέφασσα* vocativum esse ratus *κακοῖς ὡς ἐμοῖσι* et *μουσεῖα τεὰ* scribendum coniecit, ut interpretatio haec esset: una habentes Libycam lotum arundinemque, ut ad recessus tuos, o Proserpina, lamentis resonantes mittat questus, dolores, naenias, meis deplorandis malis sociatas.

Quae quidem Musgravii coniectura iam satis ab Hermanno refutata est. Pflugkius codicum lectionem retinet *μουσεῖά τε θρηνήμασι ξυνῳδὰ πέμψειε Φερσέφασσα*, ita ut *Φερσέφασσα* sit nominativus, sed quomodo explicet eam, non accurate indicat. Cum Matthiaeo consentit, qui *μουσεῖα* coetum canentium esse dicit et hoc rei convenire exemplis illustrat. Pergit deinde: „sed quinam sunt illi, quos sibi a Proserpina expetit, coetus exsequias concelebraturi [*φόνια*]? Non alii opinor quam Sirenum.“ Equidem quid vox *φόνια* uncis inclusa hoc loco sibi velit non intelligo. Deinde si sententiarum nexum consideramus, Pflugkii interpretationem probare non possumus. Nam quum Helena Sirenum auxilium imploret, ut lamentationibus suis sociae veniant, cum hac re conciliari nequit illud, quod Pflugkius vult, Helenam ut Sirenes mittat a Proserpina postulare. Mirum enim videretur, si poeta quod iam in ante-

cedentibus dixit repeteret et voce μουσεῖα coetum Sirenum significaret. Ceterum in voce μουσεῖα non inest notia coetus: nam quum de coetu loquimur, motus cogitatio adesse debet, cum voce μονσεῖα vero quietis tantum notio est coniuncta, id quod facile ex exemplis a Pflugkio allatis apparet. Hoc loco, ut Musgravius recte perspexit, haec vox Proserpinae sedem lamentis resonantem significat, quod si verum est neque Φερσεφάσσα neque verbum πέμψειε ferri potest. Quem scopulum ut evitarent viri docti alii (Fixii ed.) scribendum esse coniecerunt μοῦσ' ἰεῖσα, alii μέλεα Μύσια θρηνήμασι ξυνῳδά, πέμψαιτε Φερσεφάσσᾳ (Zeitschrift f. Alterthw. 1847, 237). Hermannus „potissimam vitii sedem" in vocibus μουσεῖά τε quaerendam esse putat ex vix posse dubitari, quin his in verbis lateat Μύσι' ἄτε. Satis enim notas esse Mysias naenias et exemplis confirmat. Quam ob rem scripsit μέλεα Μύσι', ἅτ' ἓ ἓ θρηνήμασι ξυνῳδά πέμψειε Φερσεφάσσᾳ. Ut autem sententia quaedam tolerabilis existeret, iam in antecedentibus codicum lectionem αἰλίνοις κακοῖς mutare in αἴλιν' ὃς κακοῖς est coactus. Equidem omnibus accurate examinatis primum voces μουσεῖά τε retinendas esse mihi persuasum habeo, quae ne a sequentibus abhorreant ita videtur scribendum: πέμψαιτε Φερσεφάσσᾳ, ut μουσεῖα accusativus nulla praepositione addita locum indicet, ad quem motus mittendi fiat et totius loci sententia haec sit: Utinam veniatis habentes Lybicam lotum arundinemque, tristibus malis meis respondentes lacrimas, doloribus dolores, naeniis naenias (habentes) et ad sedem lamentationibus resonantem mittatis Proserpinae (has querelas mecum), ut a me cum lacrimis in funesta, atra aula marito mortuo hymnos accipiat. Coniectura autem, pro forma πέμψειε scribendum esse πέμψαιτε, magnam probabilitatis speciem prae se fert. Nam facile fieri potuit, ut ab imperito librario propter antecedentem particulam τε formae πέμψαιτε seiungeretur syllaba τε, ut illi responderet, et πέμψαι esset tertia pers. sing. Opt. Aor., ab alio autem littera τ eiecta pro forma πέμψαι altera πέμψειε restitueretur.

κυανοειδὲς ἀμφ' ὕδωρ.

Virgines captivae, quae in maris littore vestibus lavandis occupatae sunt, audita Helenae lamentatione celeritur accurrunt et luctus causa quae sit interrogant. Pflugkius hoc loco aptissime conferri iubet suavissimam Homeri de Nausicaa eiusque ancillis narrationem, quae invenitur Od. 6, 93 sq.

φοίνικας ἁλίου πέπλους κ. τ. λ.

Solebant veteres purpureas vestes soli exponere, ut tincturae splendor renovaretur. Pollux a Musgravio indicatus lib. 1, 49 χαίρει δὲ ἡλίῳ ὁμιλοῦσα τῆς πορφύρας ἡ βαφή, καὶ ἡ ἀκτὶς αὐτὴν ἀναπυρσεύει καὶ πλείω ποιεῖ καὶ φαιδροτέραν τὴν αὐγήν. In lectione huius versus variunt codices, partim ἁλίου partim ἁλίῳ exhibentes et in editionibus veteribus exstat vox composita ἁλιωπέπλους. Atque re vera utra lectio huic loco sit accommodatior dubitari potest.

Hermannus dativum genitivo praefert chorum dicere existimans, vestes sole siccandas in luce, quod sit in loco aprico. Attamen dativo quem vocant instrumenti nihil aliud exprimitur nisi illud quod iam inest in vocibus αὐγαῖσιν ἐν ταῖς χρυσέαις. Quae verba si quis explicationis causa ab Euripide dativo ἁλίῳ addita esse dixerit, nolit oblivisci, tale additamentum solutae quidem orationi convenire, sed plane a poetae sermone abhorrere. Itaque genitivum ἁλίου ponendum esse putamus, qui nihil offensionis habet ac poetae optime tanquam ad imaginem conficiendam inservit. In verbis quae sequuntur ἓν τε δόνακος ἔρνεσιν omnes fere editores hanc Seidleri emendationem receperunt, quum quae in Aldina invenitur lectionem θάλπους' ἀμφί τ' ἐν δόνακος ἔρνεσιν ferri non posse apparuerit. Attamen Fixius hanc emendationem tam ineptam quam violentam esse iudicat et „in locum formulae ἀμφὶ δόνακος ἔρνεσιν tam Graecae, tam sinceram speciem referentis suffecisse locutionen putidam ἐν ἡλίου αὐγαῖσιν θάλπειν ἓν τε δόνακος ἔρνεσιν" queritur. Cum Fixio consentit una ex parte Hartungius, quippe quum in Seidleri emendatione nihil nisi inanem repetitionem inesse arbitretur, ex altera autem parte eum reprehendit, quod articulum ταῖς vel ταῖσι non deleverit ac versum medio in verbo diremerit. A vero certe non aberrabimus, si Seidleri coniecturam in transferenda tantum praepositione ἀμφὶ ad verbum θάλπους' consistentem probaverimus et cum Hermanno participium ἀμφιθάλπουσα a poeta propterea usurpatum esse censuerimus quod vestes verti solerent, ut utrimque siccarentur. Quam vero causam Fixius affert, ut sententiam suam fulciat, dici non posse ἐν ἡλίου αὐγαῖσιν θάλπειν ἓν τε δόνακος ἔρνεσιν, quum geminata praepositio ἐν ad utrumque nomen αὐγαῖς et ἔρνεσιν diverso modo referenda omnem respuat coniunctionem, eo facile refelli poterit, quod chorus postquam in universum se ἐν ταῖς ἡλίου αὐγαῖς vestes siccare dixit, ut haec verba arctioribus finibus circumscribat, locum ubi hoc fiat addere dicatur: siccans vestes solis fugore et id in arundinibus.

ἔνθεν οἰκτρὸν ἀνεβόασεν, ὄμαδον ὀλοόν, ἄλυρον ἔλεγον.

Editiones veteres exhibent ὄμαδον ἔκλυον. Quam lectionum ut probaret Matthiaeus statuit et persuasit aliis, versum a voce ὄμαδον incipientem in parenthesi positum et verborum constructionem hanc esse: ἔνθεν οἰκτρόν ἀνεβόασεν, ὅ τι ποτ' ἔλακεν αἰάγμασι στένουσα scil. τις, id quod Hermanno durum atque invenustum videtur. Quare sententiam Reiskii secutus verbum ἔκλυον suspectum habentis ὀλοὸν reponit, quo etiam strophico similior hic versus reddatur. Hermanno consentimus quum propter causas allatas tum quod, si ἔκλυον retinemus, chorus sententiam iam in antecedentibus expositam haud apto additamento repetit. Quod Musgravius respiciens scribendum coniecit: ἔνθεν οἰκτρὰν ἀναβόασιν ὄμαδον ἔκλυον, ἄλυρον ἔλεγον. Hermanni vero coniectura omnes difficultates tollit et non solum huic accommodatam praebet sententiam, sed etiam indoli Graeci sermonis omni ex parte respondet. Οἰκτρὸν accusativus secundum grammaticorum praecepta (Matthiae Gr. Gr. § 409, 2) adverbii

locum tanquam obiectum verbi *ἀνεβόασεν* tenet. Qui sequuntur accusativi *ὅμαδον, ἔλεγον* tanquam appositiones ad illud *οἰκτρον*, ut accuratius describatur, pertinent. Notandum vero est, accusativum *οἰκτρὸν* plane alius generis esse atque ultimi huius antistrophae versus accusativum *γάμους* qui et ipse ex verbo *ἀναβοᾶν* pendet. Nam hic in eorum numerum referendus est, qui non rem cum actione arcte cohaerentem, sed omnino rem ad actionem spectantem denotant, ita ut nonnunquam etiam causa actionis vel status cuiusdam accusativo exprimi possit, ut hoc loco *Πανος ἀναβοᾷ γάμους* (cf. Matthiae Gr. Gr. § 412, 1). Constructionem autem verborum inde ab *ἔνθεν οἰκτρὸν* hanc esse puto, *οἰκτρὸν ἀνεβόασεν* (sc. *τις*), *ὅμαδον ὀλοὸν, ἄλυρον ἔλεγον*, ad quam totam enuntiationem pertinent verba *ὅ τι ἔλακεν αἰάγμασι στένουσα, Νύμφα τις οἷα Ναΐς* i. e. quidquid unquam lamentata est nympha quaedam luctu ingemiscens, ut Nais et quidem *ἰεῖσα ὄρεσι φυγάδα νόμου γοερὸν*, emittens in montibus fugae modos flebiles. Quae sequuntur verba *ὑπὸ δὲ πέτρινα κτλ.* cum antecedentibus ita sunt coniungenda, ut suppleatur *ὅτι* et harum partium nexus sit *ὅτι ποτ' ἔλακεν . . . καὶ ἀναβοᾷ γάμους Πανὸς* (i. e. ob vim a Pane illatam) *ὑπὸ δὲ πέτρινα μύχατα γύαλα* in intima saxeae speluncae parte. Vox *κλαγγαῖς* vel *κλαγγαῖσιν* quae in codd. Paris. non exstat et quam in Florent. I. alia manus, circumscripta linea, reiecit, num cum Hermanno defendenda sit et post *γύαλα* inserenda vehementer dubito. Equidem hac in re Pflugkii sequor sententiam.

θήραμα βαρβάρου πλάτας.

Helena persuasum sibi habens, virgines Graecas ita animo esse affectas, ut ipsius conditionem tristem cognoscant, ad luctus causam exponendam se parat. Vocibus *θήραμα βαρβ. πλ.* in allocutione utitur, quippe quum virgines a barbaris Graeciam adeuntibus raptae et ad Proteum regem, ut servarum munera subirent, fuerint delatae.

μέλλουσαν verbum quod perspicuitate caret iam H. Stephanus emendavit scribens *μέλουσαν*, viderique id in Flor. I. 2. esse dicit Matthiaeus cf. Iph. Taur. v. 644 *φανίσι μελόμενον αἱμακταῖς* et Andr. 851 ibique adnot. Pflugkii.

Recte Helena sese *πολυκτόνον* hoc loco vocat, ut quae deorum consilio causa belli Troiani fuerit facta, quo tot millia hominum et Graecorum et barbarorum mortem obierunt. Qua ex re Scaligerum, qui margini adscripsit *ἴσ. πολύστονον* falsum esse apparet.

Κάστορός τε συγγόνου τε κτλ. His verbis sicut sequentibus, quae strophae finem imponunt, Helena utitur, ut eleganti circumscriptione memorans, geminum illud patriae decus reliquisse exercitationes illas, fratres Castorem et Pollucem mortuos esse virginibus captivis indicet. Castor autem et Pollux praecipue equis delectabantur (*ἱππόκροτα λέλοιπε δάπεδα*) et principes iuventutis erant cf. Hom. Il. 3, 237 *Κάστορα θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα*. Loco illi, ubi vivi exercitationes instituerant postea ut *θεοὶ ἐναγώνιοι* praesidebant. Paus. III, 14, 7 eorum statuas dedicatas fuisse in *Δρόμῳ* sive *Ἱπποδρόμῳ* qui ad Eurotam erat narrat. cf. Xen. Hell. VI, 5. 30. Quod respiciens Euripides dixit *γυμνάσια Εὐρώτα*. De hac genitivi dorici forma cf. Pind. Pyth. 7, 23. Eurip. Med. 1403. Hel.6 74. Valck. ad Eurip. Phoeniss. p. 306. In nominibus propriis haec genitivi forma etiam apud scriptores solutae orationis Atticos exstat cf. Xen. Cyr. 5, 2, 6. Ages. 1, 5. Eurotam poeta in hac fabula quoque v. 349 *δόνακι χλωρόν*, v. 493 *καλλιδόνακα*, in Iph. T. 400 *δονακόχλοα* appellat. Quae concludunt stropham verba *νεανίαν πόνον* illustrationis causa antecedentibus vocibus *ἱππόκροτα δάπεδα γυμνάσιά τε* adiecta sunt. Indicant autem, exercitationes istas, quae vel equis vel pugnis (cf. Propert. III, 12, 17) instituerentur, magnum laborem exhibuisse iuvenibus. Recte Pflugkius eorum sententiam improbat, qui formam *νεανίαν* convertendam putant in *νεανιᾶν* et exemplum affert ex Eurip. Hecuba 920 *ναύταν ὅμιλον*.

αἰαῖ αἰαῖ κτλ. Chorus doloris magnitudine, quo Helena est affecta, commotus de eius mala sorte queritur. Verba autem *αἰὼν δυσαίων τις ἔλαχεν* nos commonefaciunt illius opinionis, quam iam apud Homerum (Od. 7, 197) his vocibus expressam invenimus:

πείσεται ἄσσα οἱ αἶσα κατὰ κλῶθές τε βαρεῖαι
γιγνομένῳ νήσαντο λίνῳ, ὅτε μιν τέκε μήτηρ.

